



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis vigesimâ Decembris.

M. CLAUDIO QUARTIER,
DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An incipienti Dysenteriæ præsentius ab Astringentibus aut Emeticis, quàm à Venæ-sectione remedium?

I.

ALVINA regio partes inter alias continens, quæ nutritioni corporis apparant & adornant cibos, morbis benè multis objicitur: iis medendi ratio plurimùm ardua & dissimilis occurrit. Quamvis enim partes illæ ad communem universi salutem consentiant, nec minimum inter se cognationis habeant, suisque se invicem tueantur nativis viribus & auxiliis; ad diversa tamen destinantur munia, quæ singillatim potulentorum & esculentorum coctioni distributionive, superfluorum quoque excretioni impenduntur. Ex iis expletis officiis, quibus expromitur tum humorum integritas, tum laudabilis partium earum constitutio, quæ sunt fundamenta vitæ, tota corporis œconomia sustinetur: his verò humoribus immutatis, iisdemque partibus malè habitis, hæc œconomia ruit, fœcunda surgunt medicinæ opera; spiritus, sanguis, humores, excrementa pervertuntur, nec parùm de pristinâ naturæ suæ bonitate decedunt: tunc corpus κακοχυμίᾳ seu humorum impuritate sordescit; hæc ineluctabili necessitate redundans, undequàque confluit tum ad intestina tum verò maximè ad mesenterium velut ad sentinam communem: harum sordium collectioni segniorique moræ occasionem præbet mesenterii tum substantia, quæ tota bibula & spongiosa est, uberibus conspersa glandulis; tum ejusdem structura, quæ ex duplici membranâ instar sacci concin-

natur : ibi autem hæc impura materies diu ſtagnans & perpetuò affluens, Diarrhœæ, Dyſenteriæ, Cachexiæ aliorumque difficilium & longorum affectuum parens jure præſumitur. In his ſedibus ſordes illas ſiſtere qui tentat, aut per vias invias minùſque naturæ familiares derivare, nondum artis tyrocinia poſuit, & turpiter à recto methodicæ curationis ſcopo digreditur.

I I.

ΔΥΣΕΝΤΕΡΊΗ dicitur exulceratio inteſtinorum dolorificas & cruentas dejectiones inducens. Hæc ſe prodit crebro alvi fluore cum gravi doloris ſenſu, torminibus & moleſtâ deſidendi cupiditate. Primò quidem nihil penè excernitur, niſi mucoſum quiddam, pingue, viſcidum, ramentoſum cum magno conatu; mox pars ſeroſa ſequitur humoris illius ebulliendo ſpumantis; tum ſanioſa impuritas fluit: utraque ſuis aculeolis membranoſas partes divellens: corroſis & apertis venarum oſtiolis cruor emanat: tum frangitur virtus inteſtinorum, & horum ruina patefit in excretione interioris membranæ dejectionibus permiſtæ, nec rarò propria inteſtini ſubſtantia putris fataliter procidit. Inteſtinum nullum eſt, quod hujus affectionis tormenta non perſentiat: cùm continui dolores ſint quibus torquetur æger, nec diurnæ nec nocturnæ quieti partem ullam impertiunt: variè ſe jactat, nec certo ſtare loco poteſt; ſe propè funeratum clamat; ſuique impatiens cibos ferè omnes hauſtuſque cum indignatione reſpuit: diris hiſce ſymptomatis aſſident anxietas, ventris inflatio, ſitis ardens, ructus importunus, quibus perſpicitur ventriculum quoque in conſenſum trahi. Nequaquam autem procedit hæc affectio incomitata febre, quæ licèt primis temporibus aliquantiſper obſcurior, ſenſim tamen emicat & invaleſcit, delirio, capitis gravitate & nonnullis aliis febrium ſymptomatis ut plurimùm privata, ita ut ferè ſemper Dyſentericus ad extremum uſque ſpiritum permaneat mentis compos, lue hâcce tetrâ regnante in alvinâ regione crudeliter.

I I I.

QUI Dyſenteriam progignit humor, ex toto corpore in alvum prorumpit. Sanguis ex pluribus conſtat humoribus: hi diverſi licèt generis confuſi inter ſe & quodammodo uniti, dum probi ſunt ſibique cohærent, naturaliter ſe habere cenſentur; ſemel vitiati, nativo ſuo decore exuuntur & pravam naturam induunt: diſſolvuntur ſæpiſſimè & à ſe invicem diſſiliunt. Pars vincens, ſive ſit pituitoſa, ſiveblioſa non ampliùs ligatur, ſuique tunc juris in illâ perturbatione, naturæ non ſubjicitur, nec non vitio ſuo armata ſuperbire ſolet, multorumque eſt ſui generis morborum procreatrix. Fluxûs Dyſenterici, cùm ſit communis & epidemius, jure cauſas prævias repetes ab uſu communi cibi, potûs, aëris, ut quibus vita animalium potiſſimùm tenetur. Neceſſitas aëris cui non nota? ſpiritus, in quibus corporis noſtri vigor ſitus eſt, ex aëre & ſubtiliori ſanguinis parte conflantur: aër vitæ neciſque arbiter agnoſcitur: nos ſanos reddit, cùm purus contactu, inſpiratu, tranſpiratu nos afficit: morboſos, dum vitiatus nos inficit: ſpecuum, cadaverum aliorumque putreſcentium expirationibus imbutus, maſſam ſanguineam inquinat: fervente & igneâ tempeſtate non mediocriter lædit optimam quamque temperiem, æſtum inurit præcordiis, quo ſpiritus flammam capiunt & quilibet humor incandeſcit. Potuum quoque depravatæ qualitates inſtrumenta ſunt hujus affectionis Dyſentericæ, quales ſunt aquæ corruptæ, limoſæ, paluſtres, lacuſtres & quas nunquam aura liberior verberat: accedunt & ova,

carnes, pisces, aliaque corrupta quæ comeduntur difficillimis temporibus & infelici annonæ caritate premente, fructuumque penuriâ: omnium tandem ciborum usus qui sunt alieni, pravi vitiosique succi, inter quos fungi cujuslibet sint generis jure recensentur, quos salutis suæ studiosi in æternum ejurare debent: horum malignitatis consciæ abhorrent quadrupedes, & homines, proh dolor! luxurianti palato blandientes, hoc venenum suaviter vorant.

I V.

MEDICAMENTA Στυπτικὰ seu Astringentia humorem influentem in aliquam corporis partem retinent, eundemque aut impingunt aut retrudunt & remeare cogunt: crassæ sunt ut plurimùm terrenæque substantiæ. Harum dotum vi & facultate suas actiones exerunt. Emetica verò quæ vulgò dicuntur, vomitum provocant. Hæc veteres non nisi magnâ cautione usurpabant, ut quæ ventriculum irritando, vim ipsi inferunt. Longè præferebant Purgantia, quæ ad usum frequentiùs quàm par est acuuntur Emeticis: Purgantia opportunè data & absque magno apparatu paulatim subeunt viscera majoraque vasa humorum vitiosorum colluvie obsessa, quos insitâ proprietate familiariter prolectant, qui per loca commoda naturæ ministerio ejusdemque votis foràs ejiciuntur. Minùs autem æquè de naturâ judicat, quisquis ejus legibus institutum esse vomitum audet affirmare: toto genere præternaturam est; istam viam nunquam affectat natura, & si quandò tenere videtur, invita semper id præstat, nec illa actio ex ejus nutu & propensione manat. Medicus ad illius imitationem factus cogitur nonnunquam iisdem vestigiis insistere, attentum ad hoc potissimùm se præbens, ut vomitus numeros expleat omnes salubritatis; adsit vomendi facilitas, nulla sit ex parte subjecti repugnantia, nihil aut minimum molestiæ & offensionis secum portet; omnis demum necessaria adhibeatur præparatio. Vix tamen pleno pectore sapiens persuadebitur, in usum frequentem adhibere præsidium, quod motus extraordinarios concitat & naturam convellit: apprimè quidem novit ventriculum inter partes nutritias principem censeri, illius salute vim omnem viscerum contineri; prospicit inter omnia ejus tenori servando, exploratum tenens, hoc malè habito, hoc deformato, compati cæteras corporis partes & contabescere. Et cùm non nisi potenti concussione res ipsi molestæ per vomitum excludantur, quò validioribus Emeticis vomitio cietur, eò majore vehementiâ & impetu ventriculus subvertitur, superstite nimiùm crebrò, inemendabili per quidquid est vitæ reliquum infirmitate. Plethoricis, pleuriticis, peripneumonicis, tabidis, ex inflammatione stomachi singultientibus, nunquam ἀλόγως, seu cum ratione præscribitur.

V.

QUEMADMODUM apud Agyrtas & Parabolanos, qui nec observant naturæ motus, nec ejus vias tenent, in variolis, morbillis, erysipelatis aliisque affectibus hujus indolis incipientibus, creber est Astringentium usus & commendatio, quibus inconsultè naturæ salutarem impetum intercipiunt, materiam morbi effectricem, ad externa corporis tendentem, in suum alveum refundendo: sic non minùs temerè in Dysenteriâ incipiente Astringentia decernuntur; horum quippe operâ mordax & efferus humor suppressus & retrusus, abcessum facit vel in lateribus & visceribus vel in articulis; noxia quippe omnia, noxiè retinentur, & hinc magnæ aliæ clades emergunt. Sub initia quoque Dysenteriæ vitiosam materiam effervescentem

ſpumantemque, in inteſtina cadentem per Emetica ſursùm evocare grandis calamitas; ventriculus ſiquidem, qui per conſenſum & viciniam duntaxat afficitur, hujus fluxûs Dyſenterici minimè conſcius eſt: & cùm ſit cibi potionisque commune receptaculum, citra gravem noxam ſordium illuvie fœdari nequit; vomitio tunc temporis citata, plena laboris eſt; ventriculum conturbat, ejuſque robur exoluit: quid autem iniquius digniſſimam hanc partem, perverſo ordine, vili huic officio mancipari? Satis jam ipſe languet à ſævâ exhalante mephiti, quâ dejicitur appetentia, corpus enervatur, cor ipſum effœminatur; fit demum ſtatûs naturalis miſeranda prolapſio. Viam igitur tritam amplectere, viam rationi conſonam, veterum fultam obſervationibus, uſuque ipſo ut & magiſtrâ rerum experientiâ comprobatam: hæc primis hujus affectionis temporibus in liberali ſanguinis detractione poſita eſt; hæc inter Dyſenteriæ præſidia, ut & omnium inflammationum, principem locum tenet: hujus ope ſingulari, magna pars proluviei fœdæ ad inteſtina ubertim per venas illabentis adimitur, ligna foco ſubtrahuntur, febrilis æſtus miteſcit, partium affectarum fervor extinguitur; naturali tandem viſcerum redivivâ temperie, & reliquiis materiæ morbificæ ſubactis & edomitis, datur purgationi locus aptior ex blandis & benignioribus medicamentis, quæ abſque torſione minorique periculo materiem hanc excretioni paratam prorſus eliminent. Tunc in uſum quoque tempeſtivè veniet radix Braſilienſis dicta Ipecacuánha, ante quinquaginta annos in hanc urbem aſportata, cujus præcipua vis eſt, modicâ quidem doſi pluries repetitâ, deorsùm purgare & aſtringendo viſcerum tonum reſtituere, non omiſſis interim per prima hujus affectionis tempora, tum largiore potu, tum frequentibus enematis ex decocto meſenterii vitulini, omaſorum, ſero lactis aliiſque beneficis auxiliis, quæ inteſtina recreent, & ad ipſorum tutelam & ſolatium, humoris tranſeuntis morſus acerrimos deliniant,

Non ergò incipienti Dyſenteriæ præſentius ab Aſtringentibus aut Emeticis, quàm à Venæ-ſectione remedium.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Aignan.
M. Jacobus Fourneau.
M. Nicolaus Brunel de la Carliere, Medicus Regis ordinarius.
M. Joannes-Baptiſta Doye.
M. Urbanus Leaulté.
M. Michaël Pichonnat.
M. Antonius de Sainct-Yon, Medicus Regis ordinarius.
M. Joannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordinarius veteranus.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS PEPIN, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.